

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Rebecca.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

14 DIALOG. SACRORVM

na, & omnibus arboribus, quæ sunt undique in toto spatio ejus. *E.* Addico. *H.* Testes erimus.

SENTENTIA.

Justitia commendat hominem apud eos, qui non sunt omnino perditi.

REBECCA. Gen. 24.

ARGVMENTVM.

Dispensator Abrahami dicit Rebeccam, filiam Labanis Mesopotamii, in matrimonium Isaaco herili filio.

*Dispensator Abrahami, Rebecca,
Laban, Bathuel.*

Heus! heus puella, da mihi bibere paulum aquæ ex tua urna. *R.* Imo vero perlibet, vir optime! Hem! bibe, ^{a)} quin etiam adaquabo tuos camelos, quantum sat erit. *D.* At ego te pro isto beneficio, dono hac inaure, atque his duabus armillis. Sed age fac sciam, cuius sis filia: & an sit in ædibus tui patris locus, ubi possimus pernoctare. *R.* Evidem sum filia Bathuelis, quam Melca peperit ex Nachore. Straminis autem & pabuli apud nos affatim est, nec non locus ad pernoctandum. Sed ego curro in oppidum, ut nunciem hæc omnia domi ita, ut habent. *D.* ^{b)} Ago tibi gratias, Jova, quod non destituisti tua bonitate & fide Abrahamum herum meum

^{a)} Humani homines ultro plus etiam beneficiorum conferunt, quam orantur.

^{b)} Pii, Dei erga se beneficia agnoscunt atque praedicant.



meum, tui cultorem: qui me deduxeris per eam viam, qua venirem in dominum cognatorum domini mei. *L.* Ait tu? *R.* Ita est. *L.* Et dono dedit tibi istam inaurem, & armillas? *R.* Etiam. *L.* Ubi reliquisti? *R.* Ad fontem, & ecce eum tibi apud camelos. *L.* Precor tibi Jovam proprium, homo. *D.* Et ego tibi vicissim, vir humannissime. *L.* Narravit nobis hæc foror mea Rebecca, quinam sis, & unde venias: Quod cum primum audivi, statim curavi parari tibi diversorum & tuis camelis stabulum, ne foris maneas Quamobrem sequere me. *D.* Ago tibi gratias pro tanta comitate & diligentia. Sequor. *L.* Eamus hac. Hic sunt ædes nostræ. Vos curate hos camelos stramine & pabulo. Vos afferte aquam lavandis pedibus huius, & coitum. Bene est, accumbite. *D.* Dabitis mihi veniam. ^{c)} Non capiam cibum, quin prius dixero, cuius causa huc venerim. *L.* Dic ergo. *D.* Ego sum servus Abrahami, hominis, quem Deus ditavit mirum in modum ove, capra, bove, argento, auro, servis, ancillis, camelis atque asinis: cui etiam jam seni Sara uxor peperit filium, quem ipse constituit hæredem ex asse, meque etiam jurejurando astrinxit, ne locarem ei nuptam, quæ esset ex Canaanis, in quorum terra habitaret ipse: sed ire in domum paternam, eique eligere in uxorem gentilem. Cui cum ego dicere: Qui si mulier nollet me sequi? ^{d)} Deus, inquit ille, cui ego

per

^{c)} Bonus procurator magis memor est officii sui, quam voluptatis.

^{d)} Pii Deum sibi ad futurum certo sperant,



16 DIALOG. SACRORVM

per omnem vitam parui, tecum mittit nuncium suum, qui tibi secundabit hoc iter: Ita sumes filio meo uxorem mihi gentilem, ortamque ex domo paterna: hac re exsolveris te religione jurisjurandi, quo te astringo: si forte non impetraveris, ut mulier te sequatur. Ita persuasum est mihi, ut venirem. Cumque hodie venisse ad fontem, ita cogitabam mecum: e) Jova Deus heri mei Abrahami, si tu mihi ades in hoc itinere, da mihi, ut me nunc hic stante ad fontem, venias puella haustura, quæ mihi roganti det aquam ex urna bibendam: atque etiam aquetur meos camelos, ut intelligam esse, quam destinasti hero meo. Vix hæc mecum tacitus cogitaram, cum subito ecce egressa Rebecca, ferens urnam in humeris, descendit ad fontem, atque haurit. Et cum petivisset potum ex ea, confessim deposita urna offert, & dicit, etiam sese adaquaturam camelos: quod & fecit, adaquavitque me & camelos. Ego quæsivi ex ea, cuius esset filia? Respondit: Be-tuelis, filii Nachoris, ex Melca. Tum ego accommodavi fronti ejus inaurem, & manibus armillas: & submisse adorans Jovam Deum heri mei Abrahami, gratias egi, quod deduxit me in rectam viam, ad conciliandam filiam herilis cognati filio herili, quam ex his argumentis intellexi eam esse. Nunc ergo, si certum est vobis facere hoc beneficium domino meo, facite, ut sciam: sin minus, nihilo fecius, ut insistam aliam viam.

e) Deus piis mentem indit ad ea petenda, quæ ipse eis præparavit.



L. f) Hæc res plane ex Deo orta est, neque nos omnino possumus repugnare tibi. *B.* Ita habet. Proinde habe tibi Rebeccam tuo arbitratu, eamque ducito nupturam hero tuo, sicut visum est Jovæ. *D.* Gratiam habeo DEO primum, qui ita voluerit: deinde vobis, qui non repugnaveritis. Tu vero Rebecca, & vos, non recusabitis hæc quantulacunque dona, quæ attuli jussu mei domini.

SENTENTIA.

Deus dirigit pios in viam, eorumque actiones secundat.

IDVM AEVS. Genef. 25.

ARGUMENTVM.

Eſavus vendit Jacobo fratri prærogativam ætatis.

Eſavus, Jacobus.

Imperi mihi de rufo isto: nam redeo rure exanimatus laſſitudine. *J.* Vende mihi in præſentia prærogativam tuæ ætatis. *E.* En ego jam jamque emorior: quo mihi iſtam prærogativam? *J.* Ergo confirma mihi jam nunc venditionem jurejurando. *E.* Confirmo, quid vis? juro, ad-dico: Nihili facio jus iſtud ætatis præ edulio.

SENTENTIA.

Brevissima voluptas hominem privat perpetuis bonis. Idem uſu veniet impiis, qui amore carnalium voluptatum prodigunt bona cœleſtia.

VENA-

f) Ex felici negotiorum progressu ſepe animadvertere licet adesse Deum,

B

